

quodam Scholasticarum-Concionum in nauseam legentium fecit Gisb. Voet. in Biblioth. Stud. Theol. l. 2. c. 11. p. 144. ac seqq. Adeo verum est, quod supra citatus Ant. Sadeel paulo ante illa verba, quæ attulimus, proloqui non veretur: *Mibi videntur Scholastici Doctores Scholasticam illam meretriculam, ut honesta Matrona, sic Philosophiæ nomine & pigmentis exornatam in mediam Ecclesiam maximo cum ipsius Ecclesiæ damno produxisse.*

§. 5. Neque vero existimandum, recentiores Pontificios ita omnino immunes esse ab hoc crimine, ut non sæpe Antecessorum suorum vestigia in ampliando Rationis humanæ in mysteriis fidei imperio arcte satis premere deprehendantur. Produnt inter alia se circa monstrosum illud Transsubstantiationis dogma, quando hoc argumento inter cætera illud confirmare audent: Panem Eucharisticum non manere panem ob dignitatem, *quia non videatur rationi consentaneum, ut simul maneat cibus ventris & cibus mentis, panis terrenus & panis cælestis*, ceu loquitur Bellarminus l. 3. de Euchar. c. 102. Quasi vero non idem de accidentibus panis valeat, quæ & ipsa nutrire Papistæ affirmant. Et quo non audaciæ ac temeritatis progrediuntur in fabricandis quatuor istis cellis seu contignationibus inferni, quarum prima sit ipse infernus, secunda Limbus puerorum, tertia purgatorium, & quarta denique Limbus Patrum.

§. 6. Quando vero nobis cum ipsis Pontificiis res est, adeo nobis denegant facultatem Ratione utendi, ut ne quidem principia ejus formalia à nobis adhiberi velint, si quando ex Scriptura, sententias nostras contra eos, quando disertis ibi verbis non reperiuntur, per legitimam necessariamque consequentiam deducimus. Quantum vero eorum intererat hoc à nobis obtineri potuisse, tanti laboris erat, huic rei aliquam juris speciem conquirere. Hinc Jesuita Gonterius primùm, postea Veronius in Methodo nova conati sunt ostendere, à nobis per propria nostra fundamenta ac principia exigi posse, ut ex solo & puro DEI verbo fidei nostræ dogmata ostendamus, & Pontificios ex eodem verbo DEI, eos, quos ipsis tribuimus, errores dedoceamus. Quid vero per purum, item per solum DEI verbum intelligat, libri sui p. 9. prodit *Cum per purum, in-*
quiens,